

Hoc Volumen continet

- 1) Ludovici Disf. de Juramento compensationem non excludente
- 2) Hartmann de Etymologia vocis Weichbild. Dente
- 3) de Wikenendorff de ^{perispe} Exheredatione liberorum sine consensu parentum nuptias contrahentium.
- 4) Thomasi Disf. de non rescindendo contractu condic-
tionis ob metum spectrorum.
- 5) Thide Disf. Jur. Sax. de Impudatione damni per ignorantiam inuiti.
- 6) Thomasi Disf. de Jure injusto hereditarum.
- 7) Eberhardi dict. Schwins Disf. de Notario
- 8) Thomasi Disf. de Osequitate cardinali. Et de ref. vend. et ejus usu practico
- 9) Streit de praescriptionibus
- 10) Thomasius de Concubinato
- 11) Bruntem. Tract. Jurid. de Sardanariis non Rom. Indu
- 12) J. W. Boehmeri Medf. Jur. de Iniquitate et injustitia actionum injuriarum
- 13) Ludovici Disf. de eo qui post litem contestatam bona mobilia possidere desit
- 14) Rotermundt de retractu conventiionali
- 15) Ursini Comental. Jurid. de Augusti Mentis
- 16) Thomasi Disf. de Contractione fusticae per amicabilem compositionem
partium litigantium a Jure sententiam
- 17) Ludovici Disf. de muliere curante
- 18) Goellhe de eo quod justum est circa dispensationem matrimonii ob legem con-
sanguinitatis vel spiritus jure divino prohibiti
- 19) Jacelii Disf. de cambis, Trastafis
- 20) Wildvogeli Progr. de justo lucro rescidendo
- 21) Streit de testamento in die officii iudicis insinuato
- 22) Reinkens Disf. sistens de Feminarum Saxonicarum negotia absque
curatoribus valida

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
PRÆSCRIPTIONIBVS,

QUAM,

MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO

JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curie Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Viriisque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B.M. V. & ad S. Joannem, Moguniz, respectively Scholastico, Canonico Capitulari, & reliqv.

ANNUENTE ILLUSTRIS JCTORUM ORDINE,

IN ALMA ET PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFORDIENSI,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI *Streits/*
Jcti,

*EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGIUNTINI CONSILIARI
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICÆ DECANI.*

PRO LICENTIA,

**SUPREMOS IN UTROQUE JURE HONORES ATQVE
PRIVILEGIA DOCTORALIA**

MORE MAJORUM CONSEQUENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

CHRISTIANUS JACOBUS *Sangenberg/*

Cizens. Mfsu.

Advocat. Eisenbergens.

AD DIEM XVI, DEC. A. MDCCXXII.

IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS H. C.

ERFORDIÆ, Typis GROßCHIANIS, Acad. Typogr.



INSTITUTIONIS HANNOVERENSIS

INSTITUTIONIBUS

MAGNIFICENTISSIMO PATRI RECTORE

DOMINO

IO JOACHIMMO HANNO

DR JOHANNIS PHILIPPI


DR JOHANNIS

DR JOHANNIS

CHRISTIANUS

HANNOVERAE





DISSERTATIONIS
DE
PRÆSCRIPTIONIBUS.

§. I.



Uilibet, puto, etiam id non admonitus facile conjiciet, me de Præscriptionum materia, speciminis inauguralis loco, nonnulla in medium allaturum, eo significato hac voce uti, quo denotat modum illum adquirendi per solam diutinam possessionem, legum juxta præscriptum dominium. Quamvis enim alias *Præscriptionis* vocabulum quamcunque etiam exceptionem indigitet, & *præscribere* idem denotet ac excipere seu ab agendo repellere, *L. 18. §. penult. de Jud. L. ult. de Suspect. tut. L. 1. §. fin. ne de statu def. L. 34. §. 3. de Legat. 2. L. 3. de prævaricat*: prior tamen significatus longe est famosior. Æquivoca autem absolute posita stare solent significato famosiori.

§. II.

Atque hoc ipso usu frequentiori significato hodie

die æquipollet usucapioni. Quamvis enim olim usucapio discreta erat à præscriptione, non solum tempore & objecto, sed & potissimum ipso effectu, dum illa ipsum tribuebat dominium, hæc vero nudam exceptionem, sive exclusionem à jure agendi, nullum autem jus ad competenter agendum *L. un. C. de nudo jure Quirit. toll. hæc tamen differentia jure recentiori sublata est L. un. C. de usucap. transf.* sunt tamen nonnulli, qui etiamnum præscriptionem & usucapionem ab invicem ut latius & angustius differre & omnem quidem usucapionem etiam esse præscriptionem, sed non viceversa omnem præscriptionem esse usucapionem statuunt, hancque ad solas res corporales restringunt: verum enim vero contraria sententia juri nostro magis videtur conformis, ob *L. 4. §. fin. L. 10. §. fin. de usucap. L. ult. C. de longi tempor. præscript. L. un. C. de usuc. transf.* Consentientes habeo TREUTL. *Vol. 2. d. 22. th. 1. litt. H. ARUM. Exercit. 6. ad Inst. th. 3. SCHNOBEL. Disp. 20. th. 27.* utpote qui differentiam omnem inter præscriptionem & usucapionem negant.

§. III.

Noranter autem dixi, in significato illo, quo Præscriptio denotat modum acquirendi per solam possessionem dominii præscriptionem æquipollere usucapioni. Datur enim etiamnum tale præscriptionis genus, in quo solum lapsus temporis & negligentia ejus, contra quem præscribitur, attenditur *L. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* & quod proin non nisi exceptionem, neuiquam vero actionem parit, maximeq; adeo ab usucapione differt. Pertinent huc præscriptiones Actionum, quæ

quæ præscriptiones temporales vocari solent *vid. r. r. de divers. temp. præscript.* de quibus inferius agendum erit.

§. IV.

Maximopere autem de requisitis legitimæ præscriptionis mihi discernendum erit, quorum V. vulgo numerantur. Primum nimirum est, ut res usucapionis sit capax II. ut addit possessio civilis, III. bona fides, IV. justus titulus, V. possessionis dictæ continuatio per tempus legitimum. Juxta versiculos memoriales:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:

Recta fides, justus titulus, res non vitiosa,

Ut rem possideas teneas quoque tempore stato.

§. V.

Quod jam primum spectat requisitum, norum est, non omnes res usucapioni, seu præscriptioni longi temporis subjacere cum exolent, hinc I. omnes quæ natura sua ejus sunt incapaces, quales esse deprehenduntur 1) Eæ, quæ non sunt in commercio, sive de jure gentium, ut omnes res sacræ & religiosæ §. 1. *Inst. L. 6. de usurp. & usucap. L. 6. & 22. de contrab. emt.* item quæ publicæ L. 45. *de usurpat.* vel de jure civili, ut res universitatis, L. 6. *pr. de cont. emt. §. 6. Instit. de R. D.* 2) res meræ facultatis, quo nomine intelliguntur a) ejus ex cujusque libertate naturali dependentes e. g. commeare per viam publicam L. 2. *de via publ.* in suo solo quicquid libet ædificare L. 24. *de S. P. U.* res suas quascunque meliores reddere e. g. ædes restaurare. L. 10. *C. de ædific. privat.* molere, pinsere, emere, vendere pro lubitu &c.

§. VI.

Quamvis autem libertati naturali ut dixi in se & sua

sua natura spectata nunquam & adeo nec per tempus immemorale præscribi possit, negari tamen haud potest locum fieri præscriptioni eo in casu, quo prohibitio accedit, eique quis per sat longum temporis spatium acquiescat & morem gerat. E. g. si quis alium prohiberet aliud molendinum, præter suum adire, & hic morem illi gereret, ira ut per sat longum tempus in nullo alio quam prohibentis (eodem sciente) molendino moleret, libertati alterius naturali utique hoc ipso præscribetur, ita ut jus prohibendi ab altero acquireretur. In simul tamen hoc in casu requireretur, ut primo prohibitioni obsequens crederet alteri jus prohibendi competere, nam si declararet, se ex mera benevolentia erga alterum eidem obtemperare, licet nullum jus prohibendi ipsi competere credat, omnem id præscriptionem impediret; secundum requisitum prædicto in casu esset, ne alter solo metu adductus prohibenti pareret, quem tamen præscriptioni opponens probare teneretur. Hinc bene sibi suisque prospicit, qui ex metu tali prohibitioni acquiescit, si illud vel aliis commemoret vel de eo scriptum conficiat.

§. VII.

Citra autem talem prohibitionem præscriptio nulla locum haberet, licet vel per centum annos in alterius constanter molendino molere consuevisset, haud alia ex ratione, quam quod molere sit actus meræ facultatis, in se omnis præscriptionis incapax. Cæterum nec prohibitio alicui eidem acquiescenti facta, tertio, ejusdem licet conditionis, cui in specie non est facta, præjudicare potest. Ita e. g. si quis incola in pago

pago quodam molendinum publicum extructurus, ab alio jamdum ibidem molendinum habente id effectui dare prohiberetur, ipseque huic prohibitioni acquiesceret, haud sane ex in molendini jam extructi possessor jus prohibendi contra alios incolas praescriberet. Nec idem fieri putarem, licet etiam plures alios adhuc prohibuerit, hique prohibitioni acquieverint. Ut ut enim primo intuitu praesumptio inde enasci videatur, revera alteri jus novi molendini extructionem prohibendi; contraria tamen praesumptione facile eliditur, vel precario, vel interveniente conventionem, illos proposito suo renunciaffe, cui alteri praesumptioni illa quae pro libertate naturali semper militat, maximopere opitulatur. Quid? quod praeter dictam de omiffa vel ad alterius preces, vel intervenientem conventionem praesumptionem, alia adhuc locum habet, cum fieri facile potuerit ut ob evitandos litigii sumtus atque tardia a proposito abstinuerint.

§. VIII.

Sed tempus est, ut in viam, unde digressus sum redeam, dispiciamque an aliae adhuc res praeter eas quae natura sua usucapionem seu praescriptionem longi temporis respuunt, illius alias ob causas sint incapaces. Ubi se offerunt II. quae ob vitium quoddam seu odiosam qualitatem usucapioni a LL. subtrahuntur, nimirum 1) res furtivae §. 2. *Inst. de usucap.* utpote quae non tantum a fure ipso sed & quocumque alio etiam b. f. possessore usucapi nequeunt, eò, quod furtiva qualitas easdem in perpetuum comitetur, ad quemcunque possessorem pervenerint §. 3. *Instit. d. t.*

L. 7.

L. 7. C. de usuc. pro emt. L. 24. ff. de usurp. & usuc.
 2) res vi possessæ alleg. §. 2. Instit. de usuc. L. 4. §. 23.
 de usurpat. L. 86. de furt. L. 48. prin. de A. R. D. Res
 autem vi possessæ dicuntur illæ, à quarum possessione
 vi dejectus est prior dominus, & quæ nunc à de-
 jiciente possidentur L. 1. §. 28. de vi & vi armat. quæ
 duo conjunctim requiruntur, d. L. 1. §. 28. & L. 4. §.
 22. de usurpat. Si enim tertius quis occupaverit earum
 possessionem, ipse dominum priorem supervenien-
 tem repellere potest, L. 4. §. 22. & pen. L. 31. §. 2 eod.
 BACHOV. ad TREUTL. Vol. 2. d. 22. th. 3. lit. c. Idem
 judicium de rebus amotis ferendum per L. pen. de act.
 rer. amot. nec non de expilatis L. 68. 69. & 70. de furt.
 L. 37. de usurp. atque de servo fugitivo, §. 1. Inst. de u-
 suc. L. 1. C. de Serv. fugit. & L. 60. de furt. nisi tamen
 res in domini potestatem reversa fuerit, utpote quo
 casu postmodum eadem iterum usucapionis capax
 redditur §. 8. Instit. eod. L. 4. §. 6. de usuc.

§. IX.

Porro III. quædam res ab usucapione seu præ-
 scriptione longi temporis immunes sunt ex singulari
 favore erga dominos earundem. Nimirum 1) res
 pupillorum contra quos nec incipit præscriptio, nec
 cœpta currit, sed durante pupillari ætate quasi dor-
 mit L. 48. pr. de A. R. D. L. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann.
 2) res minorum, Equidem doctores tantum non omnes
 qui ad l. 3. C. quibus non objic. long. temp. præscript. & l.
 un. C. si advers. usucap. commentati sunt, eam timentur
 sententiam, quod licet præscriptio contra minores
 non incipiat, cœpta tamen contra eorum in dominio
 an-

antecessorem currat, salvo tamen ipsis in integrum re-
stitutionis beneficio, aut cum in *alleg. L. 3. C. quibus
non objic.* expresse sancitur, ut id temporis, quod in
minori ætate transmissum est, longi temporis præ-
scriptioni non imputetur, prætereaque ratio, quæ de
præscriptionibus temporalibus in *l. fin. C. in quib. caus.
in integ. restit. necess. non est* affertur, etiam hic obti-
neat, contrarium merito statuitur, quod nimirum præ-
scriptio contra minorem nec initium capiat, nec ea,
quæ jam dum contra eorundem in dominio rei præ-
scribendæ antecessorem cœpit, intra annos ætatis mi-
noris currat.

§. X.

Quæ autem de rebus pupillorum dixi, exceptio-
nes quasdam patiuntur, primo enim in casu quo quis
a pupillo sine tutoris autoritate, quem puberem esse
putat, quid emerit, usucapionem sequi expressissime
statuitur in *l. 2. §. 15. pro Emptor.* Novi equidem alios
aliud plane sensum huic legi tribuere, eamque inter-
pretari de re quadam non ipsius pupilli, sed alicu-
jus tertii ab ipso pupillo vendita; sed hunc sensum
ipsius Legis contextus plane non videtur admittere.
Palam quippe est JCrum Paulum hujus Legis auto-
rem in hoc §. proponere casum dubium, ratione usu-
capionis, si autem intelligeremus per rem a pupillo
absque tutoris autoritate venditam, eam cujus domi-
nium non ad pupillum sed tertium aliquem spectet,
nullatenus plane talis venditio cuiquam obstare usu-
capioni videri posset. Deinde etiam verba finalia
hujus §. haud obscure innunt, utique inibi de re
B ipsius

ipſius pupilli ſermonem eſſe, decidit enim JCtus eo in caſu, quo quis quidem ſciret ſe a pupillo rem emere, putaret autem ſimul pupillis licere res NB. SUAS ſine tutoris autoritate adminiſtrare, emtorem non uſucapere, quoniam juris error nemini prodeſſe debeat. Palpabile fane eſt, quod, ſi de re tertii vendita verba hujus §. accipienda eſſent, uſucapioni emtoris dictam venditionem nequicquam obſtare poſſe. Altera exceptio concernit caſum, quo cœpta longe ante pupilli impletur. Atque tum pupillo conceditur reſtitutio in integrum *l. 48. pr. de A. R. D.*

§. XI.

Ad claſſem rerum, quæ ob ſingularem favorem adverſus ipſarum dominos, uſucapionis ſeu præſcriptionis longi temporis expertes ſunt, pertinent IV. res fidei, §. 9. *Inſtit. de Uſucap. l. 18. & 24. ff. cod. nec tantum cæ*, quarum jam dum poſſeſſionem habuit, ſed etiam poſſidendarum nimirum bonorum vacantium, ſeu eorum quæ ſucceſſore deſtituuntur. *l. 2. per. tot. de Jur. fidei & l. 1. C. de bon. vacant.* Requirebatur autem olim ut talia bona vacantia fiſco eſſent nunciata, nunciabant nimirum eadem olim delatores, quibus ex L. Julia Papia dimidium, ex conſtitutione vero Neronis quarta pars cedebat, unde etiam quadruplatorum nomen tulerunt. Etenim ſi nunciatio hæc intra quadriennium non fiebat, tum illa uſucapi diutina poſſeſſione poterant §. 9. *Inſtit. de uſur.* quam diutinam poſſeſſionem DD. varie ſunt interpretati, veriſimillimum tamen eſt, eandem intelligendam eſſe de tem-
abſen.

porè decem annorum inter præsentès, & viginti inter
 abfentes, argum. *l. un. C. de ufuc. transform. V. huc ſpe-*
ctant res civitatum & municipiorum l. 9. de ufurp. &
ufucap. quo de etiam vid. Conſt. Aug. Elect. Sax. C. 6.
 Ob wieder eine Stadt die præſcription der Sächſiſchen
 Rechte ſtatt habe? VI. Res principis, *t. t. C. ne rei do-*
minic. vel templor. per eas autem intelliguntur, quæ
ſunt in privato Principis patrimonio, & adeo utique
diſtinguendæ a rebus ſiſci, utpote quæ non tam ſunt
principis quam principatus, VII. res dotales l. 4. de
fundo dotal. niſi tamen inchoata ſit ufucapio antequam
dotales fierent. l. 16. de fund. dotal. & tandem VIII,
 Res teſtamento alienari prohibita *l. 2. C. de ufuc. pro*
emtor.

Addi tamen poteſt etiam ſervus fugitivus, qui ſui
 quaſi furtum facit, & ideo ufucapi non debet, ut eo dif-
 ficilius ſui emtores inveniat, conſequenter eo facilius
 ad dominum ſuum reverti compellatur. *l. 1. C. de Serv.*
fugit. & l. 60. ff. de furt.

§. XII.

Progredior jam ad ſecundum præſcriptionis longi
 temporis requiſitum, poſſeſſionem civilem, quæ in eò à
 naturali differt, quod illa cum opinione dominii ſit
 conjuncta, hæc autem minime, imo potius detentio
 eſt quam poſſeſſio, hinc ad ufucapionem non poteſt
 eſſe ſufficiens. Nam ufucapio eſt modus dominii ac-
 quirendi, quod adeo ſine intentione acquirendi acqui-
 ri haud poteſt. *l. 55. de O. & A. vid. Gl. & DD. in l. 5.*
§. 15. ff. commod. l. 3. §. 5. de acquirend. vel amittend. pos-
ſeſſ. alias enim coloni e. g. precario poſſidentes, uſu-
 fructu-

fructuarii, creditores, commodatarii, depositarii, emphytevtæ, Vasalli, superficiarii & omnes alii, qui rem quidem aliquam possident, sed citra animum eandem sibi habendi, utucaperent seti longo tempore præscriberent contra ipsam dominum, quod sane esset absonum.

§. XIII.

Tertium requisitum, bonam fidem, quod attinet illam quidem nonnulli definiunt, quod sit firma opinio, qua quis credit rem suam esse, sed hi plus ad bonam fidem requirunt, quam ipsæ leges. Etenim *l. 109. de V. S.* bonæ fidei emtorem etiam eum videri pronunciat, qui ignoravit rem alienam esse, aut putavit eum, qui vendidit, jus vendendi habuisse sed non omnis, qui ignorat, rem alienam esse, statim etiam firmiter credit, rem esse vendentis, cum etiam qui dubitat, ignoret *l. 15. qui testam. fac. non poss. l. fin. C. de condict. indeb. & l. fin. §. 2. C. de furt.* Hinc illi qui firmam persuasionem ad bonam fidem requirunt, non possunt non dubitantem ab utucapione excludere, cum firmiter credere & dubitare e diametro sibi invicem opponantur. Contrariam autem opinionem esse arbitror, licet non ignorem, quas rationes illi pro sua sententia afferant, quas non nihil examinare, operæ forsân pretium erit.

§. XIV.

Primo nimirum regerunt: bonam & malam fidem usque adeo contraria esse, ut medium inter utrumque dari non possit, bonum nequire esse malum, nec malum esse posse bonum: equidem bono melius dari,

dari, & malo pejus, sed nunquam quod malum est propterea & bonum futurum : neque eadem de re conscientiam eandem simul læsam & illæsam esse, aut simul certam & incertam. Ast hæc omnia concedere facile possum salva mea sententia de bona fide dubitantis, utpote quæ eidem ne tantillum quidem officiunt. Sane ne specietenus quidem ex mea sententia consequitur, dubitantem nec esse in bona, nec in mala fide; vel eum simul in bona & mala fidē versari; vel eum simul læsam & illæsam conscientiam, aut certam simul & incertam, intuitu emtæ rei alienæ, quam esse talem ignoravit, habere. Et si dicere pergerent, eò talem in bona fide esse non posse, quod sit in mala, manifeste hoc ipso principium peterent.

§. XV.

Secundo eum qui dubitat, rem esse alienam, eo ipso incipere ajunt scientiam habere rei alienæ, & ideo jam simulationem aliquam adesse, cum aliud agat, aliud credat, simulationem autem malam fidem inducere certum esse ex *l. i. de dolo malo*. Sed si adversæ sententiæ patroni sollicitius expendissent, quid proprie sit dubitare, talia nunquam assererent, qua enim veritatis specie pronounciari potest, dubitationem initium ponere scientiæ illius rei de qua quis dubitat, cum qui dubitat, hoc ipso quatenus dubitat neque affirmationis neque negationis scientiam habeat, adeo ut ipsa dubitatio omnem potius scientiam tollat quam ullam ponat, unde etiam jam sponte sua corruunt, quæ de simulatione ceu falsæ suppositioni innixa afferuntur. Et præterea absonum plane est de dubitante, an

res sit venditoris affirmare, quod re vera credat, rem esse alienam, cum, si hoc crederet, de eo non dubitaret. Tandem tertio etiam provocant ad *l. ult. C. unde vi* tanquam sententiam suam confirmantem; in qua autem ne hilum quidem talis confirmationis deprehendere possum.

§. XVI.

E contrario mea sententia de dubitantis bona fide præter superius adductas prægnantes rationes etiam hoc roborari posse videtur ratiocinio; Error juris non officit bonæ fidei, ergo multo minus dubitatio. Antecedens probari potest argumento superius all. *l. 2. §. 15. pro Emt.*, ubi JCrus Paulus ei qui sciens quidem a pupillo rem emit, putans tamen pupillis absque tutoris autoritate res suas administrare licere, usucapionem quidem denegat, sed nullatenus ob defectum bonæ fidei, sed solum ex ea adducta ratione, quod error juris nemini prodesse debeat, hæc omnia autem intellecta volo de dubitatione leviori non de graviore, quæ animum fere æqualiter ad affirmativam & negativam inclinat.

§. XVII.

Cæterum quamvis bona fides simpliciter necessaria sit ad usucapionem seu præscriptionem longi temporis, adeo, ut sine ea hæc plane procedere non possit. §. 1. & 2. *J. de usuc. l. 10. §. 27. ff. de usurp. l. 2. C. de præscript. long. temp.* de jure civili tamen non nisi ab initio requiritur, nec superveniens postea mala fides usucapionem impedit. *l. 48. §. 1. de acquir. rer. dom.* quod secus est de jure Canonico *C. possessor de R. J. in 6. cujus*

cujus observationem etiam in Camera Imperiali receptam testatur MYNSING. *l. 4. observ. 6.* & in praxi quoque attendendum vult VULT. *in Comment. ad Inst. tit. de Usuc. n. 39.* quod imprimis etiam urgent Theologi.

§. XVIII.

Sed quid ? Si absoluta usucapione scientiæ rei alienæ superveniret. De hac quæstione haud una est Theologorum atque JCorum sententia, illi enim ad illâsam conservandam conscientiam rei restitutionem plerumque suadent, cum hi vicissim illam rite præscriptam salva conscientia retineri posse statuere vix ac ne vix quidem dubitent, queis ex ipsis Theologis adstipulatur D. SCHICKFUS *in agonal suis de usucap. lib. 10.* præsertim si quis titulo oneroso e. g. emtionis, permutationis &c. non verò lucrativo v. g. donationis &c. rem obtinuerit. Tandem etiam hoc notatu dignum est, quod, licet in præscribente semper bona fides præsumatur, donec mala fides ab actore probetur, nihilominus DD. communiter velint illam a præscribente allegandam esse, MASCARD. *de prob. Concl. 1220. n. 48.* SCHNEIDEW. *ad tit. Inst. de usuc. n. 26.* CARPZ. *P. II. C. 3. D. 7. n. 24.* imo ZANGER. *Tr. de Except. P. III. C. 19.* sub pœna amissionis causæ id fieri debere autumat, quod tamen ipse negat MASCARD. *de probat. Vol. I. Concl. 224. n. 22.*

§. XIX.

Num verò hæc opinio de necessitate allegandæ B. F. fundamentum in jure habeat, admodum dubito. Primus qui eandem fovit, videtur fuisse BALDUS in *l. II.*

l. ii. ad verbum probetur C. de prescript. long. temp. cui postmodum aditipulatus fuit ANGEL. ad eund. C. tit. qui fundatam eam credit in l. 38. §. 6. ff. ad l. Jul. de adult. sed quomodo id exinde exculpi possit, me nulloatenus videre ingenue fateor, cum allegatus §. nil aliud contineat, quam *quod incesta nuptiae confirmari non soleant, & abstinenti tali matrimonio poena praeteriti delicti, si nondum reus postulatus fuerit, remittatur.* Non magis sane hic textus ad materiam de alleganda necessario a praescribente bona fide, quadrat, quam pugnus ad oculum. Interim mera ut puto autoritas BALDI succedaneos JCtos, in quorum numero sunt praeter antea allegatos etiam ALEXANDER, FELINUS, TIRAQUELL, COLERUS alii, ad sententiam hanc amplectendam commovit. Quamvis enim MASCARD. rationem all. l. sibi excogitasse videatur, qua haec sententia ex juris fundamentis deduci possit, illa tamen manifestam petitionem principii committit, illa quippe sic se habet: *praesumptio bonae fidei oritur ex praesumptione ignorantiae juris alieni, ignorantia autem licet in facto alieno praesumatur, tamen hoc est verum, si allegatur, teste Baldo.* Quis non videt aequè negatum iri, quod ignorantia facti alieni non praesumatur, nisi allegetur, ab eo qui nullam allegationis necessitatem statuit, quam bonam fidem non praesumi, nisi allegatur, haec ipsa ignorantia enim est in quo consistit praescribentis bona fides. Hinc a me impetrare non possum, ut credam, in praxi hanc sententiam receptam esse, licet, ut dixi, ipse etiam CARPZOV. eandem foveat.

Aggredior jam quartum requisitum usucapionis seu præscriptionis l. t. quod consistit in justo titulo. Hic autem est modus, quo quis ad possessionem pervenit, ad transferendum dominium habilis, & definitur ab aliis, quod sit causa justificandæ possessionis. Talem autem præbent e. g. emptio venditio, donatio, dotis datio, legatum, hæreditas, transactio, judicatum, noxæ deditio, rei derelictæ occupatio &c. *pr. Inst. de Usuc. l. 27. ff. de usurp. l. 57. de O. & A. l. 1. in fin. §. l. 2. de Publ. in rem act. t. 2. ff. §. C. pro emptore l. penult. C. de usuc. pro emt. l. 11. ff. de acquir. vel amit. poss. §. Atque talis titulus usque adeo in usucapione necessarius est, ut etiam is, qui existimaverit, se ex justa causa possidere e. g. pro emptore, pro donato, pro dote, cum tamen nulla donatio, nulla dos fuerit, usucapere non possit. §. 6. *Inst. de usuc. l. 27. ff. eod. l. ult. C. de usuc. pro don. falsa enim existimatio veritatem causæ non mutat l. 6. ad municip. Quodsi tamen quis in justo verferetur errore, usucapio utique procedit. Justus nimirum error est, qui justam causam habet. l. 11. pro emptor. l. 5. §. 1. pro suo & l. 33. §. 1. vers. hoc amplius de usurp. e. g. si servus vel procurator, cui emendam rem mandavi, se emississe mihi persuaserit *cit. l. 11. pro emt. vel si conductor conducat rem propriam ab eo, quem putat esse dominum, tum enim locator per conductorem possidet & usucapit l. 20. pr. C. de agricol. & censit.***

§. XXI.

Tandem etiam ad quintum usucapionis requisitum devenio, quod consistit in possessionis per tempus lege

C

lege definitum continuatione. Si enim vel naturaliter vel civiliter interrupta esset possessio, ipsa etiam usucapio interrupta censeretur *l. 10. C. de acquir. & retin. possess.* quandoque tamen licet interrupta sit, continua tamen adhuc fingitur possessio, uti accidit in successoribus, idque ex singulari benignitate in jure receptum est, cum alias possessio, ne à suis quidem hæredibus ipso jure continetur, sed nova apprehendatur *l. 23. pr. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Præterea hoc etiam maxime singulare est, quod, modo testator, vel intestato defunctus, rem bona fide habuerit, nihil usucapionem ab hærede complendam impediat, licet hic in mala fide versetur; & contra, etiam si hæres bona fide possideat, usucapere tamen haud possit, si defunctus mala fide rem obtinuerit *l. 43. de usurp. l. 2. §. 5. pro Em. l. 11. de divers. tempor. prescript.* Ratio est, quod ex persona usucapionem incipientis hæc ipsa æstimetur, qua cum successor ejus eadem putatur *l. 60. de R. J.* Aliter autem se res habet in successore particulari, illi enim non prodest antecessoris bona fides, nisi & ipse talem habeat. Sola autem tempora traditionum inspicuntur, ita ut sufficiat, saltem jure civili, si ab initio bona fides adfuerit.

§. XXII.

An vero in casu, quo defunctus in mala fide, hæres autem in bona fide versatur, hic usucapionem incipere possit? quæstio jam veteres inter Jurisconsultos admodum controversa est. Affirmativam suadet, quod omnia usucapionis requisita hæredi tali convenire & *l. 3. pro hærede* eam stabilire videatur, in quâ Pomponius refert,

refert, plerosque putasse, si quis hæres sit, & putet rem aliquam ex hereditate esse, que tamen non sit, eam posse usucapere. Negativa nihilominus præferenda est, ob l. ii. de divers. temporal. præscript. utpote in qua expresse statuitur, hæredem usucapere non posse, quod defunctus non potuit, unde huic sententiæ etiam adtipulatur WESSENB. ad tit. pro hærede n. 2. BACHOV. ad Treutl. V. 2. D. 22. Th. s. L. b. VINN. ad §. 12. Instit. de usuc. & foveat quoque l. fin. C. de usucap. pro hærede & l. 6. pr. ff. de acquir. vel amittend. possess. Ratio est quod hæres plus juris in rem habere nequeat, quam defunctus, cui successit, habuit. Si autem quis postularer, ut indicetur cujusnam requisiti defectus esset, ob quam tali in casu hæres usucapere nequeat, dicendum videtur, titulum non satis justum esse licet etiam alias titulus hereditatis sit justus & legitimus, hoc tamen in casu ob malam fidem defuncti vitio utique laborat. Ad l. 3. probat. respondetur, ex illa affirmativam quæstionis nullatenus probari posse, non enim sat valida est consequentia: hæres potest rem aliquam, quam falso putat ex hereditate esse, usucapere, ergo hoc semper potest, si defunctus antecessor in bona, si in mala fide fuerit, ut taceam Jctum Pomponium non definitive hac in L. loqui, sed saltem aliorum sententiam referre.

§. XXIII.

Tandem etiam vel maxime differentia præscriptionum diversorum temporum intuitu, quibus ipsæ decurrunt, adducenda est. Etenim præter præscriptionem longi temporis, quæ usucapioni ex æquata fuit, & de qua hætenus fufius actum fuit, habetur etiam

iam præscriptio longissimi temporis & immemorialis. Ipsa autem præscriptio longi temporis variat ratione numeri annorum pro veritate rerum præscribendarum; res siquidem mobiles triennio, immobiles autem inter præsentis decennio & inter absentes XX. annis præscribuntur *pr. Inst. de usuc. & L. un. C. de usuc. transform.* Cum olim ex LL. XII. tab. mobiles ubique annuo spatio, immobiles autem in solo Italico biennio usucaperentur, quibus arctioribus terminis postea Iustinianus prædictos multo laxiores substituit, alleg. *pr. Inst. de usuc.* ne nimirum occasio esset dominos præpropere rebus suis defraudandi.

§. XXIV.

Æstimatur autem præsentia & absentia personarum ex earum domicilio, ita ut si utraque, tam præscribens, quam quæ præscriptionem patitur, in eadem provincia domicilium obtineat, ipsa pro sibi invicem præsentibus, alias autem pro absentibus habeantur *L. fin. C. de præscript. l. 1.* Hodiernis moribus HAHN ad Wesenb. *in tit. ff. de usurpat. n. 7.* vult eos pro præsentibus haberi, qui sub eadem sunt præfectura, vel qui eundem judicem habent. Sed quod omnes has notas características attinet, nulla illorum videtur sufficiens esse, quod enim diversitatem provinciarum vel præfecturarum attinet, vix credo, illos pro absentibus haberi posse, qui e. g. in duobus pagis diversarum quidem vel provinciarum vel præfecturarum, sed vix milliari aut plane semimilliari distantibus, habitant. Judicis autem identitas majori adhuc ambiguitate laborat, si pro signo præsentia duarum personarum

narum eandem habere velimus. Si enim de iudice inferiore id intelligendum sit, quis ignorat sæpe ejusdem urbis incolas, diversos agnoscere Judices inferiores, an verò tales pro sibi invicem absentibus haberi poterunt? Si vero de superiori vel plane supremo è contrario duo possent eidem supremo Judici subesse, qui ratione domicilii, plus quam centum milliaribus ab invicem abessent e. g. si præscribens Halæ Saxonum, præscriptionem autem patiens, Regiomonti Borussorum suos haberet lares, hi eundem sane supremum agnoscerent judicem, nimirum Regem Borussiae, sed quis hos pro sibi invicem præsentibus habebit? Hinc admodum miror, nec veteres nec recentiores Jctos certam locorum domicilii distantiam pro nota characteristica absentiae elegisse, ita ut e. g. illos pro absentibus declarassent, quorum domicilia ultra X. milliaria distarent, pro præsentibus autem, qui longius ab invicem haud habitarent.

§. XXV.

Cum autem fieri posset, ut quis per plures ex decem illis annis quidem alteri sit præsens, per reliquos autem absens, prudenter LL. sancitum est, ut hoc in casu tot insuper anni decennio adjiciantur, quot annis quis absens fuerit *Auth. quod si C. de præscript. long. temp.* quod tamen procul dubio de annis absentiae continuis intelligendum est, si enim quis e. g. negotiorum suorum causa quotannis ad Batavos excurret, ibique per tres vel quatuor menses singulis vicibus habitaret, hunc puto pro continue præsentibus habitandum esse, licet ex decem annis fere tantum 6. vel

7. domicilium suum in altero loco habuerit. Quem admodum è contrario is, qui equidem constanti domicilio aliquo in loco gauderet, ob crebriores autem vel minimum diuturnas peregrinationes majori temporis spatio abesset, quam adesset, non immerito constanter absenti forsan æquiparandus foret.

§. XXVI.

Res incorporales e g. servitutes, quemadmodum alias subinde pro cognatis rerum immobilium habentur, ita & cum hisce decennalis inter præsentis & vicennalis inter absentes præscriptio ipsis est communis *L. fin. in f. C. de præscript. l. 1. l. 2. & 13. C. de servit. & aqua L. 10. ff. si servitus vind.* Et quamvis superius de bonis vacantibus fisco non nunciatis dixerim, quod illa quadriennio præscribantur, hoc tamen saltim intellectum volo de præscriptione exceptionem tribuente, ut enim dominium nanciscatur præscribens, item X. vel XX. anni requiruntur ob *L. 18. de usurp.* Sic ut nullius meminerim exceptionis circa præscriptionem rerum immobilium, præter illam, quæ concernit agros tributarios, desidia atque socordia possessoris incultos atque desertos, hos enim colendi gratia occupans, biennio præscribit, alterumque à domini & possessionis jure excludit, nisi hic intra dictum tempus culturæ hæctenus adhibitæ expensas offerat. *L. 8. C. de omni. agr. desert.*

§. XXVII.

Præscriptionem quæ longissimi temporis dicitur, emetitur spatium XXX. vel XL. annorum. Et hac ipsa & quidem XXX. annis præscribuntur 1) Res immobili-

mobiles, quæ sine titulo & bona fide possidentur, imo res furtivæ & vi possessæ ab ipso etiam fure & violento invasore, *l. 1. §. 1. C. de annal. except. l. 3. §. 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann. 2) annui redditus, l. 7. §. 5. C. cod. §. 1. C. qu. dies leg. ced. 3) jus adeundi hæreditatem, arg. l. 3. §. sequ. C. de præscr. 30. vel 40. annor. junct. l. 3. C. de Instit. §. substit. 4) Res minorum, l. 3. C. de Pr. 30. vel 40. l. ut. C. in quib. caus. in integr. rest. 5) Bona filiorum famil. l. 1. a. ubi. nisi tricennale C. de bon. mat. ita tamen ut præscriptio non à tempore factæ à filiis famil. alienationis, sed à die quo sui facti sunt juris currat, l. 1. in f. C. de ann. Exc. & 6) Actiones, tam civiles, l. 3. c. de P. 30. vel 40. A. quam Prætorix rei persecutorix, l. 35. pr. D. de O. & A. §. XXVIII.*

Excipiuntur tamen ex priorum classe 1) Actio hypothecaria, seu Serviana, quando contra ipsum debitorem ejusve hæredes agitur, quæ 40. demum annis excluditur, *l. 7. §. 1. C. cod. 2) querela non numeratæ pecuniæ, quæ adversus debitorem biennio, adversus Creditorem 30. diebus præscribitur. l. 14. pr. §. 2. c. de non num. pec. 3) querela inofficiosi testamenti quæ post quinquennium excluditur, L. 34. c. de inoff. test. 4) Actio injuriarum, quæ anno excluditur, l. 5. C. de injur. & aliæ nonnullæ minoris momenti; ex posteriorum autem numero excipiuntur 1) Actio doli, quæ post biennium intermoritur, l. fin. c. de dolo malo. II) Actiones omnes illæ prætorix rei persecutorix, quæ contra jus civile introductæ sunt quippe quæ anno utili terminantur, l. fin. c. de temp. in integr. rest. l. 35. in f. pr. D. de O. & A. quales sunt 1) Rescissoria, §. 1. J. de a. 2) redhibito.*

bitoria & quanti minoris, §. 19. *L. fin. l. 28. §. 38. D. de ædilit. Ed.* 3) Publicana, *all. l. 35. in f. pr. de O & A.* 4) Pauliana *l. 1. §. 6. §. f. D. que in fr. cred. l. f. c. de revoc. his que in fr. Cr.*

§. XXIX.

Actiones prætorix pœnales regulariter anno præscribuntur, *pr. J. de perpet. & temp. action* nonnullæ enim pariter excipiendæ sunt, nimirum 1) Actio furti manifesti, *d. pr. Inst. de perpet.* 2) Actio recepti contra nautas, caupones & stabularios, *l. f. §. f. D. naut. caup stab.* 3) Actio de servo corrupto, *l. 13. D. de servo corr.* quæ omnes perpetuo competunt, & 4) Actio de dejectis & effusis, si libero homini damnum datum, aut ipse læsus sit, *l. 5. §. 5. D. de his qui effud. vel dejec.*

§. XXX.

Tandem præscriptio immemorialis est, quæ tempore constat omnem hominum memoriam transcendente, *L. 23. cum auth. C. de SS. Eccles.* hinc definito non constat annorum numero, ut plurimum tamen ipsi centum anni tribuuntur, hoc enim tempus hominis memoriam excedere censetur, *L. 56. de usufr. L. 23. C. de SS. Eccles.* Et licet tam de hac præscriptionis, quam reliquarum speciebus longe plura in medium afferri possent, temporis tamen æque ac spatii ea excluduntur angustia, adeo ut hic qualicumque huic meæ Dissertationi imponendus sit

FINIS.



99 A 6990'

ULB Halle
002 826 631


3



63 17

Rehov







DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
PRÆSCRIPTIONIBVS,

QVAM,
MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,

DOMINO
JO. JOACHIMO HAHN,
EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hasfiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalis Curiae Pro-Vicario Generali, SS. Theologiae & Juris Vtriusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem, Moguntiae, respective Scholastico, Canonico Capitulari, & reliqv.

ANNUENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE,
IN ALMA ET PERANTIQUA UNIVERSITATE ERFORDIENSI,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI *Streits*/
Jcti,

*EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARII
REGIMINIS, ET FACULTATIS JURIDICÆ DECANI.*

PRO LICENTIA,
SUPREMOS IN UTROQVE JURE HONORES ATQVE
PRIVILEGIA DOCTORALIA

MORE MAJORUM CONSEQUENDI,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
CHRISTIANUS JACOBUS Langenberg/

Cizens. Mifsu.
Advocat. Eisenbergens.

AD DIEM XVI, DEC. A. MDCCXXII.
IN AUDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS H. C.

ERFORDIÆ, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.